





colorchecker CLASSIC


+



x-rite

mm

0 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20
(cm)



A. T. L. I.
Girardi
Rouilli
Mattei uis
Gambai
Ptolomai
Prolegomeni
Iuridica

3.

426

i
di
lli
use;
sar;
pu'i
men
dica

n° 272

XV^e Siècle. N° ~~272~~ - 726


La dernière pièce seule
est incunable.

Table des ouvrages contenus

Dans ce Recueil

- 1^o. Joannis de Spelli methodica dialectica ratio ad Juris prudentiam accomodata. pag. 1.
- 2^o. Caroli Girardus castilionensis de Juris voluntariis repurgandis. pag. 63.
- 3^o. Guillermi le Rouille et Alenconiensis justitiae et iuris scriptorum compendium. pag. 67.
- 4^o. Claudi Mallevali definitionum Civilium liber pag. 125.
- 5^o. Laurentii Claricini Gambari in iuris institutione propositio &c. pag. 145.
- 6^o. Iudicium expositio praemii institutionum Civilium qua primam Republice quasi formam expressit pag. 165.
- 7^o. Claudi Stolmoxi Senensis De corruptis verbis iuris Civilium dialogus. pag. 176.
- 8^o. Cabula abbreviatio arum pag. 190.





ge pte

LAURENTIUS D' ALBECINEVS

Gambars claricinius conditatis

ABITVS, nequitanus, non hoc, sed quo
randam iniuriam non negligit in dictis etiam carimi
tatem et misericordiam in his quae venient in su
em portos queruntur, si sitere, ut sit grande, quod

EXPOSITIO

PROOEMII INSTITUTIONVM

CIVILIVM, QVA LAVENTIVS

CLARICINVS GAMBARVS PRIMAM

REIPUBLICÆ QVASI FORMAM

EXPRESSIT.



BONONIAE APVD ANSELMVM

Giaccarellum, & Peregrinum Bo

nardum Socios.

ante me tunc possem ^{nos} sapientias de Barbara
metas, qui insu quo ipse faciunt, nini sed omnes suos an



101
102

EXPOSITIO PROOEMII INSTITUTIONUM CIVILIAVM, QVAE VARIENTIAS CARICINAS GAMBRAS PRIMAM REIPUBLICAE GAVI TOLMAM EXPRESSIT.

BONONIAE APUD ANSELMUM
Giacchellum, & Pellegrinum Bos
natiqum Socios,



LAVRENTIUS CLARICINVS

Gambarus ciuilis scientiæ Candidatis, S.

76
AQUITVR quartus annus cum ego non meo, sed quo-
rundam iniquissimorum hominum uitio in eam calamitatem & miseriam incidi, ut mihi saepe uenerit in memorem potius queri quod ita uiueret, quam gaudere quod uiueret, sed iam usu & ratione edocitus, ferenda esse fortiter uulnera fortunæ cognoui, Ac quod omnium maximum esse reor, sic animum induxi meum, ut non intellegam iam, quid sit aliud beatè uiuere, nisi quod predicare solebat Solon, quotidie aliquid lenescetem addisce. Itaque assiduus sum in studiis artium optimarum & præclarissimarum, quæ metanta iucunditate afficiunt, ut quamvis tenuis sim, & magnis a fortuna detrimentis mulctatus, quæcumque tamen pacem & tranquillitatem animi turbare possunt, omnia penitus ex animo ipso, admirabili Dei beneficio, elecerim atque expulerim. Quam uitam spero probatum iri omnibus iis, qui quidem sunt uiri, hoc est, qui actionum consiliorumque suorum non popularem iactationem & laudem, sed Deum, ueramque sapientiam constituunt sibi finem. Sed quid haec ad uos? ob id scilicet ut intelligatis, me fortunis ferè omnibus spoliatum, tanquam naufragio facto, quasi nudum ad eum portum euasisse, in quo uere dicere possum, me bene nauigasse posteaquam naufragium feci. Verum de his alias. Nunc illud scire uos uolo lectores candidi, me etiam eo studio docendæ ciuilis scientiæ teneri, de quo iam pri dem in præfatione in tabulam primam legum ciuilis scholæ scripsi. Non sum tamen antea ad docendum ea ratione & uia, qua institueram, aggressus, quia, ut est uidere in libello nostro de ciuili discip'ina tradenda, Defensorem, & laudatorem expectabam, quorum patrocinio me tueri possem contra sophistas, & Barbaros homines, qui nisi quod ipsi faciunt, nihil rectum putant.

A ii



Verum hoc tempore ita sum affectus, ut Dei opt. Max. benignitate, studioq; meo tantummodo fatus decreuerim docendi ancipitem euētum, utcunque ceciderit, experi. Ac si bonitas atque aequanimitas uestra scholam no. Itam condecorauerit, cotendam omnes neros, ut pri. mam illam Reipublicæ quasi formam, quam nunc in cō. spectum vulgi dare placuit, absoluam. Ducendi enim co. lores sunt, singulaq; illustranda, & omnes eius for. mæ pulchritudines, quæ innumerabiles penè sunt, in suo lumine collocandæ. Quæ omnia sum, Deo adiuuante, studio. sè effecturus. Valete, ac ita ad ci. uilem scientiam animum ue. strum applicate, ut statua. tis, ex illa, nec aliunde ueram uobis laudé, uerāmque digni. tatem acquiri oportere.



EXORDIVM AB UTILITATE

INSTYTUTIONVM IVRIS,

Item à fine hominis.

Filius.

OTIVM nunc agimus, mi Pater, quare, cur non
(obsecro) iuris institutiones mihi aliqua interpre-
tatione explicas tua, id quod antea te factu-
rum s̄epe dixisti.

Pater. Faciam, mi fili, quod rogas, tuq̄ nō sine causa institu-
tiones iuris explicatas habere cupis. Nam plusquam
dimidium iurisprudentiae tenet is, qui in his institutio-
nibus mediocriter exercitatus est.^a Verum sit hoc à
principio persuasum tibi, finem hominis esse Deum a-
gnoscere, eiusq̄ honoris, & gloriae perpetuo inservire,
ac propter ipsum Deum humanam tueri societatem.^b

Cognitionem finis hominis ad usum uitæ
magnum momentum habere.

F. Quid utilitatis habet finis hominis cognitionis?

P. Ea autem ad uitam preclarè agendam momētum ma-
gnum habet. Nam propositæ rei fine cognito, ea à no-
bis facile parari possunt, quæ nos ad ipsum finem nullo
negotio, nulloq̄ labore duxerint. Ac sicut sagitarii si-
gnum intuentes, facilius decorum assequemur.^c

Iurisprudentiam ad uniuersam phi-
losophiam moralem referri.

F. Valdè delectat me pars illa philosophiæ, quæ mores
proprios uniuscuiusque formare docet, sed tamen ue-
reor, ne ea à Iurisprudentia, quam habere cupio, sepa-
rata sit, quia ratio reipublicæ gerendæ proprium Iuris-
prudentiae officium atq̄ munus esse uidetur.^d

P. Reipublicæ administratio est sanè uerus Iurispruden-
tiæ scopus ac finis, sed quoniam Prudentia iuris modo

A. Declara-
ui in prefa-
tione in iu-
ris institu-
tiones, quā
āno ab hinc
quarto IN-
NO CEN-
TIO MO-
NTIO nūc
Card. Ame-
plis. dicauit.

B. Hæc finis
hominius cō-
stitutio sumo-
pta est ex
christiāis ra-
tiōibus, sed
finis homi-
nis (autho-
re Aristote-
le) animi a-
ctio est, iur-
tuti consen-
tanea. V.
Arist.lib.1.
ethi.cap.7.

C. Arist.lib.
1.ethi.ca.2.

D. S. summa
itaq̄ ope in
proœ. insti.

E. ut est uide in d.
præfatione,
et ī alia no-
stra præfa-
tiōe in Bro-
temata iu-
ris civilis
isagogica.

F. Cic.lib. 1.
de natura
Deorum.

G. in d. pre-
fatione in
erote. iur.
ciu. isago.
cap. 2.

H. in Mene-
xeno.

I. Ari.lib. 3.
polit.ca. 4.

quoddam circa cognitionem communiter omnium,
qua ad uitam atque mores pertinent, uersatur, eam sub
uniuersam moralem philosophiam semper referendam
esse duxi. ^c

Optimum Reip. Moderatorem sine iustis, inte-
gris, & religiosis moribus esse non posse.

F. Autoritas tua tantum apud me ualet, ut ea uel citra ra-
tionē, testimoniumūe ad quiduis credendum sufficiat.
Sed quia homines plerūq; non tam rationis momenta
in disputando, quām ueteres autores quærunt, confirma-
hāc si placet, & si potes, ueterum autoritate.

P. Iustinianum Imperatorem in cupida legum iuuentu-
te mores iustos, integros, & religiosos primum omniū
exigere, id' q̄ iure ac merito iampridem à nobis demon-
stratum est. Nunc autem unum illud addere placet, sum
mum in omni doctrina uirum Aristotelem, non prius
ad disputationem de ratione atq; prudentia Reipublicæ
gerendæ aggressum esse, quām bene' beateq; uiuēdi p̄
cepta tradidisset. Ex quo intelligi debet, sine his p̄
ceptis de moribus non posse fieri eum, quem quārimus
Rectorem, & Moderatorem, & tanquam Architectum
Reipublicæ.

Reipublicæ descriptio cum ex Platone,
tum ex Aristotele.

F. Quoniam autem in Reipublicæ mentionem incidi-
mus, dic (obsecro) quid Respublica est:

P. Respublica (autore Platone)^b hominum educatio est,
bona quidem bonorum, contrariorum uero' contraria.
Sed Aristoteles ille noster, quem ego admirandum,
quem omnibus de republica scriptoribus anteponen-
dum, quem maximè diligēdum esse censeo, præclare in-
quit.ⁱ Respublica ciuitatis descriptio est cum in ceteris
magistratibus

magistratibus, tum uel maximè in eo, qui principatu te-
net. Principatu autem tenet ubiq ratio, ordoque ciuita-
tis. Ratio autem ciuitatis aliud nihil est, nisi Res publica.

Rerum publ. tria esse genera, totidemque ab illis
defectiones, quasi earum eversiones,

F. Res publicæ nomen simplex ne est, an multiplex?

P. Multiplex. Nam rerum publicarum tria sunt genera,
totidemque ab illis defectiones, quasi earum eversiones.
Ac ut facilius hæc memoræ commendari possint, ego
illa in tabellis tibi spectanda proponam.

L. Arist. lib.
8. ethi. cap.

10.

Monarchia, siue Régia potestas,

Res publicæ veræ sunt hæc. Aristocracia, siue optimarū potestas,
Timocracia, siue censum potestas.

Tyrannis, siue corruptela singularis

Res publicæ, quæ degenerat, et à principatus,
uero statu desciscunt, sunt hæc. Oligarchia, siue paucorum potestas,
Democratia, siue popularis licentia.

Monarchia, Tyrannideisque descriptio,
Et quid Rex à Tyranno differat.

F. Quomodo igitur ista explicas?

P. Rerum autem publicarum omnium optima est Mo-
narchia, quam regiam potestate solent dicere. Defe-
ctio autem à Monarchia Tyrannis dicitur. Vtricq enim
unus præst, sed tamen inter Regem, & Tyrannum per-
multum interest. Hic enim suis, ille eorū, quibus præst,
solet commodis, utilitatique seruire. ^m Est insuper Ty-
ranno summa avaritia, infinitaq omnium rerum cupidi-
tas proposita, Regi honestas. ⁿ

M. Arist.
cod. lib. 8.
ethi. cap. 10

Monarchiam rerum omnium optimam esse,

Tyrannidem uero deterriam.

F. Cur Monarchia rerum publicarum omnium optima
dicitur?

N. Arist.
lib. 5 poli.
cap. 10.

P. Quia Monarchia, siue Regia potestas ad exemplar
Dei comparata est, ut rerum summa penes unum sit. Ve
rūm ita, si is ad imaginem item Dei sapientissimus sit,
inc̄ terris grauissima Dei munera obeat, & nihil æque
cupiat, atq̄ rem publicam opibus firmam, copiis locuple
tem, gloria ampli, virtute honestam esse. Quod si se
cūs fuerit, pessimus Reipublicæ, & flagitiosissimus sta
tus sit oportet, ut qui pugnet cum eo, qui est optimus.
Quod enim, ut Aristoteles ait, rei optimæ contrarium
est, idem pessimum, ac flagitiosissimum.

O. in d. lib.
8. ethi. cap.
10.

Aristocratiæ, & oligarchiæ descriptio.

F. Quæ est Aristocratiæ, & oligarchiæ descriptio?

P. Aristocracia est optimatum potestas, qui publicæ util
itatis causa præsunt. Oligarchia autem est paucorum
potestas, qui contemptis tenuioribus priuatæ utilitatis
gratia ad Remp. accedunt. P.

P. Arist. d.
lib. 8. ethi.
cap. 10.

Rempub. Principum culpa ex optimatum potestate ad paucos recidere.

F. Potest'ne ratio aliqua reddi, quare Respublica ex Op
timatum potestate ad paucos, eosq; uitiosos recidere
soleat?

Q. ex d. ca.
10. lib. 8.
ethi.

P. Principum culpa huius defectionis causa est, quippe
qui nonnunquam parum sui memores sunt officii. Atq; hoc ego non ex mea, sed ex Aristotelis sententia dico,
cuius uerba à Perionio in omni genere literarum per
polito latine redditā sunt hæc. Ex eo autem statu Rei
publicæ, qui est in potestate Optimorū, in eum sit mu
tatio, in quo pauci præsunt, idq; culpa & uitio Principū,
qui res ciuitatis non diuidunt pro dignitate, sibiq; uel
omnia, uel maxima commoda sumunt, & magistratus
semper ad eosdem deferunt, quod plurimi faciant diui
tias, Ita pro optimis pauci, si que uitiosi imperant.

De Timocracia, Democratiāque.

F. De Timocracia, Democratiāque quid habes dicere?

P. Timocracia, quam apte censum potestatem appellare licet, est quidam Reipublicæ status, in quo multitudo sic imperat, ut uelit omnibus bene consultum esse, & cūm hoc euenit, tum communi omnium rerum publicarum nomine Respublica appellatur. Quod si multitudine abdicata prorsus, omni patrum autoritate ad plebis utilitatem omnia refert, Democratis, siue, populis licentia dicitur.⁷ Sed de his quidem rerumpublicarum generibus aliis est mihi ad dicendum constitutus locus, quare, nunc his paucis in modum præuiæ cuiusdam inspectionis contentus ero.

**Rerumpublicarum naturam Iurisconsulto
cognitam esse debere,**

F. Est'ne Iurisconsulto utile naturam rerumpublicarum cognoscere?

P. Hoc Aristoteles clare docet, cūm ait, Neminem posse pro Reipublicæ ratione leges scribere, nisi rerumpublicarum genera cognoverit. Quod hinc etiam sciri potest, quia ad consilium, dandum caput est nosse rem publicam, & mores ciuitatis.⁵ Præterea, habemus in iure ciuili leges, plebiscita, senatus consulta, & cætera generis eiusdem, quæ quoniam à uariis autoribus, & ex uariis causis pro uaria politiæ Romanorum ratione promulgata fuerunt, rectè (opinor) intelligi nequeunt, si multas ac diuersas politiæ, idest, legitima ordinationis reipublicæ formas, quibus Romani usi sunt, ignorauerimus.

*s. vtrung:
habetur a-
pud Aristó.
lib. 1. rhet.
ad Theod.
cap. 21.*

Ius idem in omni reip. genere non esse.

F. Necesse est me interloqui. Non'ne in omni Reipublicæ genere idem est ius?

P. Non est ita ut dicis. Sunt autem sui cuiuscumque reipublicæ mores.¹ Quare, accommodandæ sunt ad res publicas leges, non ad leges res publicæ.² Ex quo datur intelligi, teneenda esse omnium rerum publicarum genera, ut legum peritia atque ratio teneatur. Neque enim eadem leges possunt usui esse omnibus rebus publicis, ut exempli gratia leges de tollendis sapientibus, de prohibendis coniunctibus, sodalitatibus, disciplinis, ceterisque eiusmodi, ex quibus duo effici solent, prudenter, & fides, ad Tyranni salutem pertinent.³ Porro autem incredibiliter ad ipsius Tyranni conservationem ualeat cura eorum, quibus sit, ut alteri alteris infidi sint, ut nulli sint potentes, utque ii, qui Tyranno parent, abiecto sint animo. Verum eisdem legibus regia potestas omnis, ut eleganter Aristoteles scriptum reliquit, interiret.⁴

T. Arist.
lib.8.polit.
cap.1.

V. Arist.
lib.4.polit.
cap.1.

X. Hæc, &
quæ sequuntur, ex Ari-
stotele lib.
5.polit.cap.
ii. sumpta
sunt.

Y. in d. cap.

ii.

Summa eorum, quæ in iuris insti-
tutionibus leguntur

F. qd Habeo ista. Nunc summam eorum, quæ in iuris institutionibus leguntur, uelim audire.

P. qd Principio quidem ut alio, ac ut oportebat à capite institutiones iuris repeteretur, quædam de iustitia & iure leguntur, ut quasi proœmium essent totius præceptiōnis futuræ, quæ in personarum, rerum, & actionum translatione consumuntur, sicuti ex me idoneis locis (fauente Deo) intelliges. Verum, ante omnia sciendum est, Institutiones iuris à quibusdam clarissimis viris Iustiniani Imperatoris iussu compositas fuisse, ac quoniam non sufficit, Principe iubere leges componi, atque describi, nisi is deinde legum compositionem ratam habeat.⁵ Iustinianus, non prius, institutiones ipsas edere uoluit, quam illas imperatoria constitutione comprobasset. Atque hæc constitutio proœmii quoque loco institutionibus iuris præponi solet.

z. Vide quæ
scripti ad
q. s. d. con-
stitutionis,
sive proœ-
mii institu-
tionum.

Quinque summos maximosque iuris institutionum locos esse.

F. Quinque igitur sunt summi maxim*im* que iuris institu*tion*ū loci, nempe, Iustitia, Ius, Personæ, Res, & Actiones?

P. Recte intelligis. Postea autem quām hos locos expo*suero*, munus promissi omne confecero. Sed prīns nō nulla de Iustiniani Imperatoris cōstitutione, quæ pro*cē*mii naturam habet, dicenda sunt. Quibus expositis, adi*tum* sibi ad cātera faciet oratio.

Suam esse quibusque studiis infantiam.

F. Expecto uehementer, & cum attentione, ut exponas ea, quæ te expositurum esse promisisti, si modō tibi molestum non est iuris principia exponere & explanare.

P. Nihil minus. Quoniam autem est sua etiam studiis infantia atque pueritia, quæ si negligatur, non est, ut ait ille, maioribus locus, nihil quantumuis leue mihi fastidium afferre poterit, si modo id tibi accommodum fore cognouero. Sequere igitur, ut facis méque ordine interroga. Sic enim & ego te meminisse intelligam quæ acce*pi*sti, & tu ordine audies quæ requiris.

A. Quint.
lib. i. instit.
oratoria
cap. 2.

Argumentum constitutionis, quæ procēmii loco institutionibus iuris præponi solet.

F. Iam tempns est ad id, quod instituimus accedere. Itaque expe*cto*, ut de Iustiniani Imperatoris constitutione, quæ procēmii loco institutionibus iuris præponi solet, exponas.

P. Est hoc in more positum fili, institutoque maiorum, ut ii, qui alicuius disciplinæ præcepta ratione tradere volunt, ea primū dicant, quibus discentis animum attentum, & ad legendum idoneum reddant. Quare Iustinianus Imperator editurus institutiones iuris primū

B.in partit.
orato.

omnium cupidæ legum Iuuentutis animum sibi bene-
uolum,attentumque faciendū esse duxit. Ac ut ista præ-
staret,principio breuiter scripsit, ut est uidere, quid Im-
peratoriæ maiestati proprium esset. Deinde,demonstra-
uit,se suimis uigiliis,curāque confecisse, ut rem publicā
quietam,& pacatam,ac felicē haberemus. Mox, de fru-
ctu,quem ex institutionibus ipsis petere nos conueniat,
exposuit. Ab utili denique , & honesto Iuuentutem ad
iuris ciuilis disciplinam animauit.

De Maiestate ex M. Tullii,legum que sententia .

F. Imperatoria maiestas , quoniam sensu apud iuris Au-
tores accipi debet?

C. De hoc P. Maiestas, ut eleganter Tullius ^b diffiniuit,est magnitu-
do quædam populi Romani in eius potestate, ac iure re-
tinendo . Sed posteaquam C. Cæsar Romam illustrissi-
mum orbis terrarum monumētum in ditionem & po-
testatem rededit suam,hæc uerba,Imperatoria maiestas,

D.Dicemus
in q. publis
ca aut iudic
cia.i.de pu
tud.

amplitudinem ac dignitatem Principis Romani signifi-
care cœperunt. ^c Porro,Maiestatis appellatio , & ad om-
nes Magistratus extenditur.Iude dicimus retinere maie-
statem,cōstituere maiestatem,lædere maiestatem, & alia
eiusmodi,de quibus erit aliis differendi locus.^d

Maiestatem ex honore atq; reuerentia
ortam esse.

F. Vnum est mi pater, quod cum interrogauero , liben-
ter expectabo,rectè atq; ordine ut de Maiestate tractes.
Nunc igitur dic si placet,aliquid de Maiestatis natura?

E.Hæc sum P. Maiestatem ex parētibus suis,idest,ex Honore, & Re-
uerentia considerare nos oportet .Principio autem,ut
Poëtæ inquiunt,nec æratis , nec dignitatis habebatur ra-
tio,suimaque imis erant permixta,^e

Donec honor, placidoque decens reverentia uultu,
 Corpora legitimis imposuere thoris,
 Hinc sata Maiestas, quæ mundum temperat omnem,
 Quaque die partu est edita, magna fuit.

Omnes, in quibus Maiestas inest,
 mirifice honorandos esse.

F. Quorsum tandem, aut cur ista refers?

P. Nihil sane, nisi ut intelligas eos mirifice honorandos
 esse, in quibus Maiestas cernitur, quo in numero in pri-
 mis est Deus opt. Max. Deinde summus Pontifex, qui in
 hoc mundo uim & numen præpotentis Dei tenet, Por-
 rò, Pontifici optimo proximus est Imperator Roma-
 nus, qui potestate, & amplitudine cæteris hominibus
 omnibus antecellit. Hos sequuntur Reges, & alii, qui in
 publicis ordinibus (Deo autore) uersantur, quisque uni-
 co uocabulo Magistratus nominari possunt.

F. Matthæ:
22.

Innocentiam uerissimum Dei cultum esse.

F. Ergo Deus, & Magistratus omnes sunt mirifice ho-
 norandi?

P. Maximè. Nam quod ad Deum attinet, sic enim in sa-
 cris literis scriptum est, f Diliges Dominum Deum tuū
 ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente
 tua. Ac si de ratione colendi Dei breuiter atq; preclarè
 scire cupis, Firmianum legit. & Nihil enim inquit, san-
 cta & singularis illa maiestas aliud ab homine desiderat,
 quam solam innocentiam, quam si quis obtulerit Deo,
 satis piè religioseque litasse uidetur.

G. de uero
Dei cultu.
cap. 1.

Quibus id persuasum est, ut nihil malint se esse,
 quam uiros bonos, iis reliquam fa-
 cilem esse doctrinam.

E. Explica de iusto ac debito honore Magistratibns tri-
 buendo.

14
H. Vide Ci. P.
lib. i. de ora
tore.

Quemadmodum Socratem^b illum solitum aiunt di-
cere , perfectum sibi opus esse uideri , si quis fatis con-
citatus esset cohortatione sua ad studium cognoscendæ,
percipiendæq; uirtutis . Quibus enim id persuasum es-
set, ut nihil malent se esse , quām bonos uiros, iis reliquā
facilem esse doctrinā . Sic existimo ego, officio me fun-
gi benevolentissimi atq; amantissimi patris, præcepto-
risq; , si aliqua tibi hoc tempore dixero , quo, animum
tuum paulatim præpares non solum ad obtemperandū,
parendumq; Magistratibus , sed etiam ad eos colendos
diligendosq; .

De Magistratus ui, deg̃ optimo ciue.

F. Quid habes igitur de Magistratibus dicere ?

I. Ista om-
nia habes
apud Cice-
ronē lib. 3.
deleg.

P. Magistratus hanc esse uim, ut præsit, præscribatq; recta
& utilia & coniuncta cum legibus . Ut enim Magistra-
tibus leges, ita populo præsunt Magistratus . Vereq; dici
dici potest , Magistratum legem esse loquentem, legem
autem mutum Magistratum . Ita quod Plato^l de ciuium
prestantia grauissime dixit , Eum scilicet esse optimum
& præstantissimum ciuem, qui summam gloriam in ci-
uitate ducat esse, nou triumphos, non ullas uictorias, sed
uincere alios diligentia parendi legibus, id inquam Pla-
tonis pronuntiatum ad omnes Magistratum obserua-
tissimos pertinere uidetur.

L. ins. de le-
gibus.

Salutem, tranquillitatemq; ciuitatis
in seruandis legibus sitam esse.

F. Nunquid nam de Magistratu ipso restat aliquid, quod
te nunc dicturum esse proposueris?

P. Nihil sanè, præter fructum & utilitatem ex obedien-
tia erga Magistratus proficiscentem, quam facile intelli-
gemos, si considerabimus in qua republika nec legibus,
nec Magistratibus honor habetur, eam diu saluam esse

M. Arist.
lib. 1. r̄bct.
ad Theo.
cap. 13.

N. 1. ad Tis
mothe. 2.

O. sfc Can.
ciuncula in
prin. d. cō
stit.

P. Appia.
Alex. lib. 2.
debel. civil.

Q. Cic. phie.
lippicante.
licet ipse ne
minē. Impe
ratoris no
mine dignū
existimet,
nisi ille, cu
ius uirtute,
et cōſili fe
licitate ma
ximis peri
culis seruī
tutis, atq;
iteritus Ro
mani libera
ti effent.

non posse, quandoquidem salus, tranquillitasque ciuitatis in seruandis legibus sita est omnis: ^m Quare Diuus Paulus ⁿ grauissime docet, cum iubet orare pro Regibus, & omnibus in eminentia constitutis, ut placidam ac quietam uitam degamus cum omni pietate, & honestate.

Romanum principem sacrosancta, nec impunē uiolabili maiestate fulgere.

F. Sanè gaudeo quod te interpellavi, quandoquidem præclara quædam audiui de Maiestatis ortu, de obedientia erga Magistratus, de uero Dei cultu, deq; Magistratus ui, ac de optimo ciue. Sed perge ut cœperas.

P. Videamus igitur prius, an uerba hæc, Imperatoriam maiestatem, quæ in principio constitutionis leguntur, omnino otiosa sint. Et puto non esse, quia significat non agi de Imperatore, qui administrator belli gerendi sit, sed de Romano Principe & Monarcha, qui sacrosancta, nec impunē uiolabili maiestate fulget.

Imperatoris nomen olim castrense
ac militare fuisse.

F. Imperatoris igitur nomen castrense ac militare esse potest?

P. Sciendum est, nomen hoc, Imperatoris, in initio Praetoribus, id est, iis, qui militibus prærant, magnarum laudum titulum fuisse. Nam hoc honore uelut insigni munere, Milites summos Duces honestabant, is que præcipuus honor habebatur semper. Postea, nemo Imperatoris nomine dignus existimat, nisi ille, cuius ductu bonoque auspicio conflatum fuisse bellum, in quo X. hominum millia cecidissent. P. Cæterum, senatus in eam facilitatis consuetudinem uenit, ut si quis Hispanorum, aut Gallorum, aut Thracum mille, aut duo millia occidisset, is a senatu Imperator nominabatur. Sed hæc an-

R. Gillo. li:
2. de iuris.
et imp. ca. 5

te C. Cæarem obtinebant. Ex eo autem tempore Imperatoris nomē esse Principis Romani cœpit, cuius principatus recte Imperium dicitur.

Duo esse Iustiniani præcepta, quæ Imperatores tenere debent.

S. Quæ ha-
bes in prin-
d. constit.

F., Iam uideo, Romanos Principes omnes a C. Cæsare Imperatores dictos esse. Nunc audire cupio, quæ sint quæ Imperatores ex D. Iustiniani sententia tenere debent?

P., Qui Imperio præsunt, duo Iustiniani præcepta tenere debent. Vnum, ut armis decorati, Alterum, ut legibus armati sint. Atq; hæc Imperatoribus necessaria sunt, ut utroque tempore, pacis nimirum ac belli commode præsint.

Et leges armis constare, & legibus arma.

T. in 3. de
legibus.

F., Memini ex te audiuisse præclararam illam M. Tulii sententiam, quæ inquit, sine legibus nec domum ullam, nec ciuitatem, nec hominum uniuersum genus stare, nec rerum naturam omnem, nec ipsum mundum posse. Quare non dubito quin imperaturo sancte, ac rempublicam recte moderaturo legum præsidiis opus sit. Sed de armis grauissimam aliquam sententiam requireo.

V. Arist. li.
7. polit. ca.
8.

P., Aristoteles diuinus ille uir, quem quadam admiratione commotus saepius fortasse laudo, quam necesse est, de armis quidem ita scriptum reliquit, Arma necessaria sunt iis, qui ad rempublicam accedunt, & ad cogendos eos qui recusant imperium, & ad propulsandam exterritorum iniuriam. "Sed & rempublicam sine legibus & uirtute bellica stare non posse, Iustinianus Imperator animaduertit. Nam, ut ipse ait, haec duæ res ita coherent, & amicè coniurarunt, ut altera alterius ope stet, ac nittatur.

X. in l.i. C.
de iustin.
cod. conf.

Prudentiam unam virtutem eius
propriam esse qui imperat.

F. Oportebit ne Imperatorem facere ea, quæ militaris
disciplinæ sunt?

P. Nequaquam. Quisquis enim præfecturam exercitus
& iudicialem præturam considerauerit, cogitare debet
earum neutram esse imperatoria maiestatis disciplinā,

A. Quippe cum huius officium sit non ut ipsa quidem a-
gat,^{Y. Sic Pla-}
sed ut agere ualentibus imperet, cognoscatq; impe-
rium & uim eorū, quæ in Republica sunt maxima, tum
quid decorum, quid opportunum sit, quid contra. Atq; Z.lib.3. po-
hoc ipsum est, quod Aristoteles ait, ^{Z.lib.3. po} Prudentia una uir-
tutum eius propria est qui imperat. ^{lit.cap.3.}

Imperatoria maiestatis disciplinam ex
optimis libris hauriendam esse.

F. Imperatoria maiestatis disciplina unde petenda est?

P. Quoniam non habemus, semper ex illis Heroib;,
qui animos philosophicos, excelsos, in fractos, invictos,
& omnibus humanis rebus superiores admirari solent,
probanda est hac in re Demetrii Phaleræ præceptio. Is
autem Ptolomæum Regem per amicè hortari solitus
erat, ut eos sèpe libros euolueret, in quibus de regno
rectè administrando præcepta continerentur, propte-
rea quod multa, de quibus antici non audeat admonere
Reges, in iis ipsis libris inspiciuntur.

A. Ut est ui-
dere apud
Plutarchū
lib.apupht.

Maiestatem legibus armatam rectè dici.

F. Sic est mi Pater. Nam in optimis libris non est fucus
adulationis, non illecebra ulla obsequii, sed simplex
nudaq; ueritas. Perge tamē ac expone, rectène à Iustinij-
no Imperatore dictum fuerit, Imperatoriam maiestatē
legibus armatam?

P. Appellatione armati, non tantum ii, qui scutis & telis,
sed etiam qui religione, audacia, & huiuscemodi rebus
parati ornati sunt, continentur. Hinc Cicero pro do-
mo sua, Magistratus armari religione Deorum immor-
talium scribit. Eodem quoque loco haec uerba leguntur,
B. in prin.
d. constit.
Et erat incredibili armatus audacia, sed & homines ar-
mari eloquentia in primo de oratore scriptum est. Re-
tete igitur Majestatem armatam, id est, instruam legibus
dictum est.^b

Duo esse omnino gerenda reip. tempora.

C. eodem lo co. F. Qui sit mi pater, ut Iustinianus Imperator^c duorum
temporum meminerit, belli scilicet, ac pacis?

P. Dicam quid sentio, & dicam brevius quam res tanta
dici possit. Qui de republica præclarè scripserunt, uni-
uersam administrandæ reipublicæ rationem in duplices
artes sectuerunt, pacis & belli. Sed & omnis uita, ut Af-
istoteles^d ait, in partes duas distributa est, in negotium
D. lib. 7. po
lit. cap. 14. & otium, in bellum & pacem. Veruntamen bellum pa-
cis causa expetendum est, negotium uero ad otium
conferendum est. Ita fiet, ut hoc cum dignitate, illud si-
ne periculo consequamur. Ac quoniam duo sunt omni-
no gerenda reipublicæ tempora. Princeps (ut opinio
mea fert) & pacis, & belli artes egregie tenere debet,
atque imprimis intelligere sibi optandum esse, & uehe-
menter a Deo supplicandum, ut ita bene ac prosperè pro-
cedat res, ut nunquam opus sit de ratione belli suscipie-
di, inferendue consultare ac deliberare.

Regiam disciplinam hodie in honore non esse.

E. in libro de regno. F. Pulchre sane, & ita Principi est faciendum. Sed quo-
tus quisque Princeps est, quin ista considerans ad amorē
prorsus & studium eius disciplinæ, quam Plato^e regiam
uocat, totus rapiatur?

P. Deberet hoc quidem ita esse. Sed tamen disciplina
earum artium, quibus Principes ad Dei proximè imita-
tionem accedere possunt, usque adeo hòc tempore op-
pressa & perturbata est, avaritia, ambitione, ac cupidita-
tibus cæteris, quæ tenebris & caligne animos hominù
infuscaut, ut si quispiam hæc & alia de Principis institu-
tione suaderet, ab omnibus ferè Aulicis rideretur. Id
quod fortasse evenire sinit Deus opt. Max. hic nostris
incredibilibus peccatis ac infandis maleficiis aductus.
Quare rescipiscendum est mi fili, & ad Deum ipsum cō-
fugiendum, ut regnare faciat sapiētissimos Reges. Nam
Regem sapientem dat Deus populo se diligenti, & à se
dilecto. f. Sed hæc mihi ad primam proœmii institutio-
num partem explicandam satis multa uidentur esse. Tu
si quid de armis requiris amplius, legitio libellum no-
strum de bellicarum rerum cum urbanis similitudine.

F. 2. para-
lip. 9.

Iustinianum Imperatorem armis &
legibus instructum fuisse.

E. Consequens igitur erit dicere de secunda proœmii
institutionum parte, in qua illud quæro, an Iustinianus
Imperator, qui quasi Imperatoribus præscripsit, ut non
modo armis adornati, sed & legibus armati esse debe-
rent, fuerit ne ipse his rebus instructus?

P. Armis & legibus instructum fuisse Iustinianum Im-
peratorem inde intelligi potest, quod Africa innumer-
abilesq; prouinciae ipsius Iustiniani uirtute Romano im-
perio restitutæ fuerunt. Accedit eo, quod Iustiniano
curæ fuit, leges romanæ sparsas & incompositas in unū
corpus congregari, recisis iis, quæ superuacanea & inu-
tilia uidebantur. g.

Institutiones in omnibus studiis primum
sibi uendicare locum.

F. Iam de hoc legum corpore quærerem, nisi tenerem

G. Hec Iu-
stinianus de
se ipso p̄ra
dicans scrie

pta reliquit
in d. cōstit.

H. Quorū.

Suidas ta-
men testa-
tur, Iustini-
num ne pri-
ma quidem
nouisse ele-
menta. Sed
uide Plat-
nam in uita
Bōifacij n.
P̄ot. Max.

C. 11

20

ea, quæ tu de iuris civilis libris scripsisti in opusculis tuis iampridem publicatis, ex quibus etiam cognoui frumentum, quem ex iuris institutionibus petere nos conueniat. Quare, non decet tempus in his conterere. Sed ad id, quod te explicaturum esse proposuisti, satis erit, si nonnulla, quæ ex te quæram exposueris. Ac primum expone si placet, quo consilio institutiones iuris compotæ fuerint.

H. §. Sed cū uos uer. ita que proculdubio in proce. dige= storum.

P., Necesse est institutiones in omnibus studiis primum sibi uendicare locum, utpote prima uestigia cuiusque scientiæ mediocriter tradentes.^h Prudenter itaq; Iustinianus Imperator mandauitⁱ Triboniano, nonnullisq; uiris illustribus, ut pro facilitiori iuuenum eruditione institutiones iuris compонerent.

Institutiones iuris ex uariis commentariis collectas fuisse.

F. Scire mihi iam uideor Iustiniano curæ fuisse, ut iuri operam daturi principio haberent institutiones, quæ uniuersæ legitimæ scientiæ compendium essent & methodus. Nunc ex quibus commentariis institutiones collectæ fuerint, uelim audire.

I. vt est nis
dcre in §.
cūque hoc
Deo. et seq.
in eadē cō
stit.

F. Institutiones iuris ex Caii,^j aliorūmque clarorum & præstantium Iurisconsultorum commentariis Iustiniani Imperatoris iussu compositæ fuerunt.

Principem sapere congressu sapientum.

L. Isti ha
bentur. i. in
§. quas ex
omnibus.

F. Si Iustinianus mandauerat institutiones componi, quare uim legis atq; autoritatem non habuerunt statim ut compositæ fuerunt?

P. Quoniam exactissima diligentia adhibenda est, ne in rebus magnis gerendis aliquid probemus, quod sit pernitendum, Iustinianus primum omnium institutiones

compositas legit, ac recognouit. Dein, recognitis plenis
simum robur per cōstitutionem suam accommodauit. M.b. & quas
Arque hinc optimum Principes in mādanda compo- ex omnibus
nendarū legum autoritate habent exemplum. Nec
aliud profectō à Iustiniano expectari poterat, nisi quod
optimo Principe dignum esset, quippe qui Iurisconsul-
torum consilio Rēpublicam administrabat. Princeps
autem sapit congressū sapientum.

N. VI est in
proverbio.

Gnauiter alacritérque ciuili scientiæ
vacandum esse.

F. o Extrema tibi pars restat imperatoriæ constitutionis,
quam in hortatione ad studium ciuilis scientiæ positam
esse dixisti, de qua sanè uelim audire.

O. Ita pro
batur in §.
fi.d.constit.

P. Facilis est explicatio huius extremae partis. Nam Iusti-
nianus Imperator, qui facilem methodum iuris studio-
sis proposuerat, superesse ait, ut ipsi quoq; iuris studiosi
suarum uicissim partium meminerint, quippe ut gna-
uiter alacritérque ciuili scientiæ uarent.

Iustinianum permagna præmia iuris
studiosis proposuisse.

F. Assentior. Nam militia quædam est uersari in literis,
P. Pulchre, sed ut ad Iustinianum reuertamur. Quoniam p. Vide Cic.
natura comparatum est, ut uix inueniatur, qui labori- lib. 1. offi.
bus susceptis, non quasi debita mercede laudis & gloriæ
cupiditate ducatur, Iustinianus permagna proposuit
præmia eis, qui ad sublimis Iurisprudentiæ gloriam per-
uenirent.

Q. vt est ui
dere in d.
§. fl.

Administrationem Reipublicæ Iuriscon-
sultis committi debere.

F. Quæ nam sunt illa præmia, quæ Iustinianus Impera-
tor iuris studiosis proposuit?

R. Hoc sum
ptum est ex
d. & fi.

S. Vide que
a nobis scri
pta sunt in
d. prefatio
ne in erote-
mata iur. ci
uil. ifago.
cap. 5.

T. Sic Iusti
nianus ferē
in & his igi
tur de iust.
& ius.

V. in prio-
re epistola,
ad Archia-
tam.

Administratio Reipublicæ, quæ ex Iustiniani præscri-
pto Iurisconsultis committi debet. ²² Ac cùm hæc dico,
non de Iurisconsultis, idest, uanissimis illis sycophantis
intelligendum esse arbitror, qui ex litibus lites serere no-
runt, quique ut sunt indoctissimi, ita sunt audacissimi
& nequissimi, sed de illis, qui quidem & in senatu, & ad
populum, & in causis amicorum, & domi, & militiæ co-
silium suum, fidemque præstare ualent. Hos autem arb-
itramur Iurisconsultos, seu uerius, ut Cicero de Seruo
sulpitio dicit, iustitia cōsultos, & æquitatis sacerdotes,
atque Antistites esse. Quorum quidem de numero te
imprimis cupio esse mi fili, ut tua ad uirtutem indeoles,
nostrumque desiderium optimo ac præclarissimo fini
terminentur.

Omnem Iurisprudentiæ illuminationem ab Deo
uno poscendam esse.

F. Ego, si mihi optata Deus concesserit, efficiam profe-
cto, ut ne te eius laboris peniteat, quem ad me erudien-
dum suscepferis.

P. Exposui imperatoriam constitutionem, quam me
expositum esse proposueram. Ac cum has meas ob-
seruationes dilatare etiam possem, his tamen contentus
fui, ne statim tenerum tuum ingenium obruam uel mul-
titudine, uel difficultate præceptorum. Reliqua autem
quæ ad hæc illustranda pertinent, spero me haud multo
post traditurum. Nunc finem faciam, si te hortatus fue-
ro, ut alacri, indefessoque animo in ciuilem disciplinam
incumbas, quo ea præstare possis ad quæ natus es. Nam
ut præclare scriptum est à Platone, "non uobis solū na-
ti sumus, ortusque nostri partem patria uedicat, partem
parentes, partem amici. Sed quoniam neq; animus no-
ster, neque labot, sine Dei ope quicquam potest, ad eum
ipsum Deum configiendum est, omnisque Iurisprudé-
tiæ illuminatio ab eo uno poscenda ac flagitanda.


F I N I S.


INDEX CAPITVM


huius opusculi.

- Exordium ab utilitate institutionū iuris, Item à fine hominis. pag. 5.
- Cognitionem finis hominis ad usum uitæ magnum momentum habere. pag. 5.
- Iurisprudentiam ad uniuersam philosophiam moralem referri. pag. 5.
- Optimum Reipublicæ Moderatorem sine iustis, integris, & religiosis moribus esse non posse. pag. 6.
- Reipublicæ descriptio cum ex Platone, tum ex Aristotele. pag. 6.
- Rerumpublicarum tria esse genera, totidemq; ab illis defctiones, quasi earum euersiones. pag. 7.
- Monarchia Tyrannidicq; descriptio, Et quid Rex à Tyranno differat. pag. 8.
- Monarchiam rerumpublicarum omnium optimam esse, Tyrannidem uero deterrimam. pag. 7.
- Aristocratiæ, & oligarchiæ descriptio. pag. 8.
- Rerumpublicam Principum culpa ex optimatum potestate ad paucos recidere. pag. 8.
- De Timocratia, Democracyq;. pag. 9.
- Rerumpublicarum naturam Iurisconsulto cognitam esse debere. pag. 9.
- Ius idem in omni reipublicæ genere non esse. pag. 9.
- Summa eorū, quæ in Iuris institutionibus legūtur. pag. 10.
- Quinque summos maximosq; iuris institutionum locos esse. pag. 11.
- Suam esse quibusque studiis infantiam. pag. 11.
- Argumentum constitutionis, quæ proœmii loco institutionibus iuris præponi solet. pag. 11.
- De Maiestate ex M. Tullii, legumque sententia. pag. 12.
- Maiestatem ex honore atque reverentia ortā esse. pag. 12.
- Omnes, in quibus Maiestas inest, mirificè honorandos

- esse. pag. 11.
Innocentiam verissimum Dei cultum esse pag. 12.
Quibus id persuasū est, ut nihil malint se esse, qnām uiros
bonos, iis reliquām facilem esse doctrinām pag. 13.
De Magistratus ui, dēque optimo ciue. pag. 14.
Salutem, tranquillitatemque ciuitatis in seruādis legibus
sitam esse. pag. 14.
Romanum Principem sacrosancta, nec impune uiolabili
maiestate fulgere. pag. 15.
Imperatoris nomē olim castrēse ac militare fuisse. pa. 15.
Duo esse Iustiniani præcepta, quæ Imperatores tenere
debent. pag. 16.
Et leges armis constare, & legibus arma pag. 16.
Prudētiā unā uirtutū eius propriā esse qui imperat. pa. 17.
Imperatoriæ maiestatis disciplinā ex optimis libris hau-
riendam esse. pag. 17.
Maiestatem legibus armatam recte dici. pag. 17.
Duo esse omnino gerendæ reipublicæ tempora. pag. 18.
Regiam disciplinam hodie in honore non esse pag. 18.
Iustinianum Imperatorem armis & legibus instructum
fuisse. pag. 19.
Institutiones in omnibus studiis primum sibi uendicare
locum. pag. 19.
Institutiones iuris ex variis commentariis collectas fuis-
se. pag. 20.
Principem sapere congressu sapientum. pag. 20.
Gnauiter alacritérque ciuili scientiæ uacandū esse. pa. 21.
Iustinianum permagna præmia iuris studiosis proposui-
se. pag. 21.
Administrationem Reipublicæ Iurisconsultis committi
debere. pag. 21.
Omnem Iurisprudētiæ illuminationem ab Deo uno po-
scendam esse. pag. 22.







A
C
R
M
G
P
I





